C[illegible] Iagell.
[illegible] Ordinis.
1720 die 19 mens. Octob.

~~Poezja 2933~~

Gotański Stanisł. Spolia ex certamine erudito collecta ac inter VIII. VV. DD. primae laureae Candidatos divisa.

SPOLIA
EX
CERTAMINE ERVDITO COLLECTa
ac inter.
VIII. VV. DD. Primæ Laureæ Candidatos
DIVISA;
ac dum
In Alma Vniversitate Cracoviensi
PER
Clarissimum & Admodum Reverendum Dominum
D.M. MATTHIAM FEDEROWIC,
Philosophiæ DOCTOREM & Professorem, Collegam
Minorem, Ecclesiæ Parochialis Janinensis
CURATUM.
In Celeberrima Jagellonis Aula.
Præsente Nobilissimorum Hospitum Corona
SOLITO RITU
Artium & Philosophiæ Baccalaurei
crearentur,
A
STANISLAO GOLANSKI,
eiusdem Laureæ Candidato.
In Vim mutui affectus.
In Immortale trophæum
COMPOSITA.
Annó Spolia de morte reportantis Salvatoris
1720. Die 19. Mensis. 8bris.

GRACOVIÆ Typis UNIVERSITATIS.

In Stemma
ILLVSTRISSIMÆ DOMUS
DENHOFFIANÆ



Quod Caput auratum meritis in Stemmate fulget
Quam felix extat DENHOFFIANA DOMUS.
Respuit hæc tritos per Summa Cacumina gressus.
Ipse Sibi Præses stat CAPITALIS honor.

PERILLUSTRI & REVERENDISSIMO DOMINO,

D. NICOLAO DENHOFF,

CANONICO Cathedrali Cracoviensi, Ecclesiarum, Collegiatæ Sendomiriensis Tarloviensi & Siennensi PRÆPOSITO, &c. &c.

Domino Mecænati Amplissimo.

ARena literaria fortes cum poscat Athletas, eos non tam manibus ac humeris hostes sternere petit, quàm Capite requirit expugnandos. Perillustris Reverendissime Domine *Si etenim in Palladis eruditæ acie caput desit, adest desperata victoria, incerti triumphi, certior clades paratissima ignominia. Hinc Pallas Iovis supremi exorta Capite, quàmvis Caput non amiserit, Medusæ tamen Caput quæsivit ut hostium*

 immi-

imminentium terror, mox triumphatrix evasisset. Hoc certè consilio sequax Palladis Academicæ turba, an potius novellus in arena literaria miles, Gentilitium Caput Tuum in fronte operis sui proposuit. Alter siquidem adverso impetui succumberet, si secum Tuum Caput non gessisset. Gloriatur quod vicerit, quod hostem decollaverit, & pro ratione Victoriæ Denhoffium monstrat Caput. Imò victuri nos laureis pro quibus certavimus non aliunde vitales derivare potuimus Spiritus, quam à Tuo Capite, quod ab innumeris cum Celsissima Domo vivax sæculis vitam etiam nobis pollicetur. In cujus gratiam Antiquitatis non revolvo monumenta quibus inserta Celsissimorum Denhoffiorum gloria, laudum sibi accendit meridiem. Illa splendores suos solijs Regnorum solis Regibus inquam sangvine Denhoffio attactis debet, Principibus Celsitudinem, Senatoribus gravitatem. Non Fabios jactet Roma, Carthago Annibales, Polonia cum solos Celsissimos Domûs Tuæ Penates revolvit, & nunc Heroum gloriam Illustrissimum & Excellentissimum Dominum STANISLAUM DENHOFF, Ensiferum Regni M. D. Litt: Exercituum Campestrem Ducem *adorat, palmam gloriæ cæteris gentibus eripit. Nec cedit hanc* Perillustris Magnificus Dominus ALEXANDER DENHOFF Dapifer Sochacoviensis Frater Tuus Amantissimus *qui ad huc in cunis, & jam unus ei non suffecerat Orbis. Vere nomine & re Magnus; etenim agnoverê, ferrea Sarmatarum tempora, auro cedroq; Notandam illius dexteritatis virtutem. Equidem non unum generosæ mentis inter Gradivi procellas, monstravit specimen: ita Libertatis Polonæ amans, ut hucusq; liber esse noluerit, quousq; liberam* Patriam *non spectaverit. Quantus amor Filij! Liberæ Matri ne absolute imperaret adversarius, mortis pericula subijt. Non invidemus proinde tot Regnis illorum decora, sed dùm pretium Familiæ vestræ pensamus, quidquid illa tulerint præcipuum infra vos esse statuimus. Quare Domum vestram quantumvis Celsissimam ad gemmam Cleopatræ coarctare precium liceat, idest fateri illam vel Regnis valore parem, vel illa excedentem. Si quippe Origo Domus inquiratur*

tur

tur, non ab humili rivo, sed à Regum Imperatorumq; promanare Oceano, facile conspicitur. Ex hoc quotqvot prodiere Viri, singuli in Patria decus, in Republicæ ornamentum & libertatis commodum vixere. Omnes hi recenseri nequeunt, non ob numerum Personarum; sed ob ingentium meritorum magnitudinem. Hinc illorum memoriam suppleat dulcis recordatio Illustrissimi olim ac Excellentissimi Domini FRANCISCI DENHOFF Castellani Siradiensis Parentis Tui æstimatissimi. Cujus vitæ spatium non tam temporum quam Virtutum Magno Senatore dignarum, punctis distinctum etiam ipsis sæculis illius excitant desiderium. Pari temporum voto recollitur Celsissimus olim Illustrissimus & Reverendissimus Dominus ALBRACHTVS DENHOFF Episcopus Cracoviensis Dux Severiæ, Regni Poloniæ & Almæ Vniversitatis Nostræ Cancellarius faventissimus, qui dum parum vixisset honoribus, mori tamen hucusq; in grato Posteritatis obligato pectore nequit. Imò ut hic facilius sibi immortalitatem comparasset, Patruus in Te transijt. Dotes proinde Præsulis Celsissimi, in Te Perillustris & Reverendissime Domine adorat Orbis, utinam veneretur titulos, quos adventuros Tibi ideo indubitate ominamur, quia à Majorum virtute nec ungve recedis, si enim quisquam è Celsissimis Majoribus Tuis justitiæ in Tribunalibus exactus observatur, tu Aristides vitijs in Caput hostis, si liberalitate commendatur, meritò illi compararis, qui toties singulos dies perdere censes, quoties nihil in bonum Clientum tuorum expendas. Pietas in Deum ac obsequens in Superos promptitudo, magis in Te videri placet quàm legi in pagina. Templa, Aræ, quæ dum in Tuum veniunt regimen, resignata abeunt splendidiùs, non dimissura unquam si non dimitteres. Plane Beneficia beneficijs accrescunt, æternum Tibi ideo Officium debentia, quia gratijs cumulata. Credo quod & Superum germen literæ, ac literarum fructus, laureæ Nostræ benevolentiam Tuam experientur, dum ad Augustal favoris Tui recurrunt. Non debebant illæ alio collimare fortunatius, quàm Capitum decora ad Caput, frontium pro honore literato exsudantium coronamenta, ad Te Coronarum Peraugu-

sti Capituli Cracoviensis pretium. Imò Clientalis hic labor ad Mæcenatem ac Protectorem gratiosissimum. Quare cum Pôetcio opere congruum ad Te scandere puto, & cum eludi gratia Tua non timeam, videatur etiam in Manibus Tuis opellæ meæ positio firma, quam post effusa longæva vitæ & magnorum honorum vota poscit.

Perillustris & Reverendissimæ Dominationis Vestræ.

Servus humillimus.

Author Operis.

D. JOANNI CANTIO,

Orbis Poloni PATRONO, Academiæ Cracoviensis PATRIARCHÆ, Pro patrocinante Favore ODE VOTIVA.

CUM LEMMATE.

Lapsa Ancilia cælo. *Virg. 5. Æneidos.*

PLaude certantûm generose Cætus
Quòd manes dives spolijs, habendo
Laureas felix virides in omnem
Temporis usum.

Non Gradivi Te juvat hasta fortis,
Nulla Bellonæ dedit arma dextra,
Es tamen multis opibus beatus
Divite præda.

Disseras quæso! Duce quo stetisti
Ad triumphales resonus Corymbos,
Gratiâ cujus Tua vota claudunt
Serta, Coronæ.

Adfuit Nobis Galeatus Hector,
CANTIUS summo veniens Olympo,
Docta quem cultu veneratur amplo
Nostra Palæstra.

Ille pro doctis vigilans catervis,
Fervidus sacris precibus Tonantem
Postulat; nè nos feriant ruinæ
Exitiales.

Nempe enim quidquid ſuperefluenti
Copiâ manat, Lechicæq; Stoæ,
Limen & doctos Apices inundat
Fonte Sacrato.
Quidquid Auguſtus favor eruditus
Intulit Muſis, Jagelona quidquid,
Dextra, tot ſeclis & amica Regum
Gratia fudit;
Ejus in Nos id meritis refuſum,
Proprios rurſum retuliſſe cultus
Grata mens urget, pietaſq; veri
Mater honoris.
Ergo fulgentem Galeam Minervæ,
Nos verecundi Tibimet Clientes,
Ad Sacros Tumbæ cineres litamus,
Accipe votum.
Nè potens Hoſtis queat eruditas
Palladis noſtræ ſuperare vires,
Nec ſuis, caſſos trahat atq; ducat,
Caſſibus inde.
Laureæ primæ benedic Virenti
Et triumphali faveas coronæ
Fac, trophæorum Tibi grata cedant
Munera noſtra.
In quibus ſupplex animus recudit
Verba, quæ cordis veniunt ab antro,
Ut Tuus creſcat decor atq; Sancto
Nomine currat.

Per-

Perillustri, Clarissimis & Admodùm Reverendis

DD. EXAMINATORIBUS.

Clarissimo & Admodùm Reverendo Domino,

D. M. CASIMIRO RELEZYNSKI,

Philosophiæ Doctori & Professori, Collegæ Minori, ac interea Philosophicæ Facultatis DECANO.

Perillustri Clarissimo & Admodùm Reverendo Domino,

D. M. FRANCISCO HIERONYMO PLUCINSKI,

Sacræ Theologiæ Baccalaureo Collegæ Majori, Tyliciano Oratori, Ecclesiarum; Collegiatæ S. ANNÆ Archidiacono, Parochialis in Łętkovice CURATO.

Clarissimo & Admodùm Reverendo Domino,

D. M. MATHIÆ STANISLAO, FEDEROWIC,

Philosophiæ Doctori & Professori, Collegæ Minori, Ecclesiæ Parochialis Janinensis CURATO.

In vectigal debitæ Gratitudinis,
Tuba Lucinij in Templo Dianæ servata, quæ dicebatur vocalia oracula edidisse, offertur,

CUM LEMMATE.

Classica fama canet. *Ovid.*

TAngas avitum pollice barbitum
Solers Apollo, pectine, si Tua
Inter Camœnarum nitores
Sacra valet resonatq; dextra.

Quidquid potens es promere dignius,
Produc Sereno Pieridum choro,
Fragor ſonantis cùm refertur
Caſtalij per amœna fontis.
Extende Chordas & modulamina,
Modis adapta non popularibus,
Cùm Ternio Noſter Virorum,
Eximiè celebrandus extat.
Spernit profanos legitimum decus
Mentis nitores; & ſolij jubar
Splendore crinali recuſat
Immeritam redimire frontem.
Et blandientes monſtra velut fera
A Purpuratis pellit honoribus,
Extingvit Ignes cum triumpho,
Et placitum populâris auræ.
Excelſa Virtus & Sapientia
Divinitatis maxima portio,
Victrix triumphans orbe facta
Sola canit potiore plectro.
Hâc noſtra creſcunt munera laurea
Ductrice, veſtris aucta favoribus
Magni Duces, orbis ſtatores
Palladij, titulis decori.
Fortuna nobis larga dedit priùs
Te dulce ſidus, qui ſuperemines
Stoæ, RELEZYNSKI, Sophorum
Et radias meritis gravatus.
Tu lumen extas mentis acumine
Nubes repellens, cùm gravitas decens
Præeſt in Auguſto Senatu,
Grande ſupercilio Catonis.

Tu-

Tu Casimiri Nomine floridus,
Non sola tantùm lilia dexterâ
Pulchrè prehendis, sed venustus
Laurigeris satur es coronis.
Mystam Iuventus cùm colit Inclyta,
In Classibus Te, sunt pia Numina
Illi, reportantur profectus
Continuis precibus secundi.
Sed præter istas laudis adoreas,
Excelsa virtus præcipuum probat
In Te suum semper nitorem,
Qui facit & faciet beatum.
Nec non tacebit quis Sapientiam
Docti PLUCINSKI, Pierijs sacrum
Pectus Camœnis, quis stupere
Desinet innumerasq; dotes.
Virtute mira multipotens adest,
Perplexa solvens dogmata Palladis,
Ut deferant cuncti, disertum
Eloquio reputent Platonem,
Hunc Tulliani Copia nectaris
Actu fluentis continuò decet,
Concessit & Princeps Apollo,
His manibus sua dando plectra.
Iam per Sacratas dicitur exedras,
Magni Periclis fulgure ceu tonans,
Scriptisq; doctis hunc coronat
Gloria per calamum parata.
Lubranscianæ Nomine Pinui
Cùm non deesset laurigeram facit.
Ergo remonstrando labores,
Perpetuos numeret Corymbos.

Te FEDEROWIC laurea nec minor,
Sed par trophæis condecorat ſuis,
Virtutis exemplar probatæ,
Quam meruit probitasq́; vitæ.
Seu bella doctis concita litibus
Inter Sophorum conſeris agmina,
Promis loquendo ſeu leporem
Dulciloqvum ruit ore nectar.
Ubiq́; felix, Te Iagelonicæ
Muſæ tenendo Claſſibus in ſuis,
Spectant coronandum decore,
Fama ſuis vehet in quadrigis.
Dembinſcianæ Tu Domui places,
Magnumq́; portas in manibus decus,
Chironis ornatus coronâ,
Eximios videas Achilles.
Præſes futurus ſtas Academiæ
Myſzkovianæ, jam faveat Tibi
Illuſtrior Phæbô ſerenô,
Gratia Principis & Patroni.
Ergo beati vivite Neſtores,
Perlonga terris ducite ſæcula,
Qui nos creatis laureatos,
Munere Palladio decoros.
Longæva Seclis fama perennibus
Semper manebit; Iupiter annuet
Votis ſupremus, qui rependet
Debita pro merito labore.

SPO

SPOLIA
Ex Erudito Certamine
COLLECTA,
& *inter*
VIII. VV. DD. Primæ Laureæ Candidatos
DIVISA.

I. *V. & Admodum Reverendo Domino.*
ANTONIO ŁAPCZYNSKI,
Sancti STEPHANI Hospitali Præposito,
Canonico Smolenscensi Concionatori S. FLORIANI, S.R.M. Secr:
CORONA THESEI,
CUM LEMMATE.
Fertur pro meritis pulchra corona Tuis. *Martialis.*

LAurea cognati meritis Te poscit honoris,
Primum, ŁAPCZYNSKI, qui pietate nites.
Hoc, Tua dos animi, pulcherrima dona merentur
Gratia virtutis, gloria magna, decus.
Indolis eximiæ species formosa videtur,
Cùm recreas suadæ dulcis amore Tuæ,
Tot titulis clarus, quot publica fama recenset,
Et labor egregius, Te decorare jubet
Eloquij Cytharæq; melos per pulpita sacra,
Non sine laude Virum Te facit eximium.
Dogmata Rhetoricæ sacratæ suggeris artis,
Nec Tibi mellifluæ gratia mentis abest.
Ergo, quod cunctos mulcet modulamine blando,
Hoc justè cingat pulchra corona caput.

II. V. D. JOSEPHO
GORZKIEWICZ Crac.
Pharetra Apollinis cum sagittis, quibus non solùm
Draconem in Thessalia interfecit, sed ijsdem
inimicas Palladis animas transfixit,
CUM LEMMATE.
Ferox contra ardua tela. *Silius.*

ARma, quæ quondam placidus Deorum,
In venenatum tulerat Pythonem,
Censui conferre Tibi. Propago
Cara Camœnis.

Tu capax arcûs levis & sagittæ,
Verba cùm fundis Themidis sacratæ,
Iam potens linguâ, facilem pharetrâ
Posce triumphum.

Eureis crescas titulisq; doctis;
Quos petis junctus docili Minervæ,
Annuent cœli, pia vota semper
Suscipientes.

Fer caput vittis placet ausus astris,
Impetus quo Tu superare quosvis
Discis, evinces scto culmen omne.
Talia tentans,

Temporis lapsus videas IOSEPHE,
In bonum quodvis Tibi consecratos,
Vince fortunam, vehat illa sese
Ad Tua vota.

IV. V. D. ANTONIO KRZANOWSKI, Crac.
Intensus Apollinis Arcus, quo in Parnasso gloriatur,
CUM LEMMATE.

Nec Sacer arte tua laxior arcus erit. *Ovid.*

IPse Tibi plaudens committit Delius Arcum,
Et benè; nam meritis Sacrato pectine ludit,
Cùm videat talem, qualem natura secundum,
Dotibus in placidis narrat vix posse creare,
Egregium Iuvenem, cognoscens, Ipsa Sororum
Turba canit modulos, & tristia dulcè repellit.
Te Virtus, Te fama beat, Te Cracia Pallas
Fxcitat extollens, ad Nostrum culmen honoris,
Et pietate Domus celebris consurgit in altas,
Laudes, quas humili pando præsente cothurno.

Ver-

Verbo: cuncta Tuo veniunt de Nomine celsa,
Quæ melior fortuna dedit natalibus orto
Excelsis; præstò veniunt monimenta favoris
Cunctorum; qui Te socius per summa sequatur.
Et quem de manibus fraternis accipis Arcum,
Sic intende potens, ut nunquam cesset ab omni
Metâ continui cum annis crescentis honoris.

V. V. D. STANISLAO RAFALSKI.

Galea Minervæ, qua armatur contra hostem Ignorantiæ,

CUM LEMMATE.

In Galea formosus eat. *Ovid.*

ADvertens varijs oneratum Musa RAFALSKI
Donis, sic dixit: præmia dentur Ei.
Extat enim pridem dignus merituſq; labore,
Affluit eximijs pectore cum studijs;
Emicat Ingenium prudens, dum solvit acuta
Argumenta Sophi, Palladis in facie.
Sedulus ad libros parvam non conterit horam,
Ast semper cultos doctaq; scripta legit.
Ergo pro tantis meritis vitaq; modesta,
Et pietate Tua, Pallas amica Tibi
Fert Galeam capiti, circumdans tempora lauru,
Ut felix Heros sic galeatus eas.
Nec franget proprias adversa potentia vires,
Cùm Caput armavit Docta Minerva Tuum.

VI. V. D. GASPARI CANTIO SOKOŁOWSKI,

Bellerophontis Lancea, qua Chimæræ monstrum occidit.

CUM LEMMATE.

Finivit lancea bellum. *Lucanus.*

O Quos apertis Diva Curulibus
Ad æviternæ pegmata gloriæ
Doctrina sublimat, pioq;
Associat numero Deorum.
Felix hic Heros; hunc neq; turbidi
Iuratus Evri concutiet furor,
Nec Hydra Lernæusve terror
Præcipiti lacerabit ausu.
Ridet ferocem non humili joco
Securus ictum, nec metuit truces
Fati procellas, quas inanis
Fluctivagi struit Ira Ponti.
Armatus extat, Bellerophontinâ
Hastâ resistens hostibus omnibus,
Hoc est, repellens hos acuto
Ingenio radijsq; pleno.
Sic SOKOŁOWSKI quælibet ardua
Vincis, secundo mentis acumine,
Quem Candor & doctrina, dotes,
Efficiunt generosiorem.
Non irritè Tu Perspicuis Viris
Adstas beatus, nam probitas Tua,
Ad Lydium sistens lapillum,
Munera non minuit sed auget.
Ergo Tibi sit Lancea præmium,
Quæ cuncta pellat monstra coarguens,
Ipsumq; telum te remonstret
Ingenio solido nitentem.

VII. V. D. MATTHIÆ JOSEPHO NIEMECKI,

Gladius Alexandri quô Gordium nodum divisit

CUM LEMMATE.

Nodos virtute resolvit. *Ennius.*

Solu

Solus haud Mavors tenet arma dextrâ,
Atq; Bellonæ decoratur hastâ.
Nobilis miles, dabit & Minerva
Signa triumphi.
Ipsa fæcundo redimita lauru
Et suos semper satiat decore
Milites, svavis numerando cunctis
Inclyta dona.
Sed qvibus votis cumulabo dignè,
Aut quid ad doctas referam Camœnas,
Dum tot Augustis renites Coronis,
Docte NIEMECKI.
Indoles præstans Tua mente fulget,
Altiùs tendit super Orbe vasto,
Dotibus summis decorata teq;
Musa sacravit.
Pulchra jam Virtus bona pollicetur;
Aureos fructus, celebris Iuventus
Cujus excelsæ peracerba mentis
Otia vitas.
Serviat dextræ gladius resolvens
Gordios nodos & opaca quæq;,
Ut manens talis generosus, extes
Victor in omni.

VIII. V. D. PETRO LORKOWSKI,

Scutum, quod Crystallinum effingitur, ut sapientiæ veritatem & vitæ conspicuam rationem repræsentet, diciturq; maximum contra fortunæ injurias propugnaculum.

Cum Lemmate.

In omnem fortunæ casum, *Lucanus.*

RObuste miles Palladis Inclytæ,
Certamen audes, pectore masculo
Doctum subire literarum,
Ingenio generosiore.

Con-

Contende prompto robore virium,
Ad firma Petrus munera gloriæ
Virtute mentis eruditæ
Culmina possideas honoris.
Multos latent, quæ strenuus artium
Opes profundas & sapientiæ,
Inquire, collectis labore,
Vt valeas pretijs potiri.
Scutum Minervæ protegit & juvat,
Te quando, cujus lucida fulgurat
Crystallus explicans serenum
Mentis in orbe jubar Polare.
Pandit Tuus, quæ promeruit, labor,
Noster LORKOWSKI præmia te manent
Sic victor in Stoæ duello
Palladio Clypeo triumpha.

III. V. D. STANISLAO GOLANSKI,
Ejusdem Laureæ Candidato,
Authori Operis.

V. D. ANTONIUS KRZANOWSKI,

Mutui Affectus & gratulatorij applausus ergò, offert

Vexillum Minervæ, sub quo acuentes suum Ingenium Juvenes Palladij existunt.

Cum Lemmate:

Signisq; relatis indivisus honor. *Silius.*

MUnera cùm lauru pulchrâ de fronte capessens
Cætus agit grates, simili modulamine plaudens,
Gesta canit meritis jam pridem digna Coronis,
Insignis pietate Viri cum mente GOLANSKI,

San-

Sangvine qui claro genitus, ſua vota dicavit
Artibus Ingenuis, multis patefactus in oris,
Ut varios uſus per praxim poſſet habere,
Attamen, ad Noſtram ſiquidem ſpirqverat Almam
Matrem, demonſtrat, cùm pulchris dotibus amplus
Continuò ſatiat generoſâ mente Lycæa,
Cumq; decens niveum teneat ſapientia pectus,
Et pietatis amor maneat de Corde triumphans,
Aſſumpsêre ſuis talem mandata Virorum
Magnorum, Obſequijs, celeri quæ tramite ſolvens,
Reſpectus varios meruit per ſumma favorum.
Ergo, Vexillum reddo Tibi, Compte GOLANSKI,
Sub quo, muneribus dives fortuna perennet,
Solus honor, tituli, faciant Certamina de Te.



Permiſſu Magnifici Domini RECTORIS.

IX.16.